et mortis concupiscentie surgentis et vitii temptantis delectationem quam in nobis solemus sentire. hos autem motus idcirco christum in carne sua voluntarie sustinuisse, ut quasi illis temptantibus resistendo victor existeret. quatenus et temptationem vitiorum superando premium iusticie acquireret, et nobis in temptatione positis resistendi et vincendi in semetipso exemplum formaret. Sed absit a sensu christiano, ut ullam in carne illa sacrosancta agni immaculati inordinate delectationis et concupiscentie illicite titillationem aliquando fuisse aut dicat aut credat, quia sunt aliqui qui vitiose delectationis titillationem aut motum concupiscendi inordinatum in illa fuisse dicunt. nos profecto ab omni vitio liberam neque premi [illegible]. Qui nos a vitiis mundaret sine vitio portaret. Motus quidem inordinatos ex infirmitate concupiscendi surgentes cum ipsa corruptione de qua oriuntur non solum pena est sed culpa, que tamen in baptizatis ad damnationem non imputatur, quia per gratiam nove regenerationis excusatur. Sicut dicit apostolus: Nihil nunc damnationis est his qui sunt in christo ihesu. Hec tamen corruptio per gratiam sacramenti non quidem accepit ut culpa non sit, sed ut damnabilis non sit, quia si culpa omnino non esset, non haberet causam quare non deberet imputari. Quod propter illam infirmitatem humane nature que pena est solummodo cum susceptione carnis christum assumpsisse convenit dicimus; illam autem que sic pena est ut et culpa sit, nullatenus admisisse indubitanter affirmamus. Neque enim sic ut victorem vitiorum dicere volumus, ut eum ipsa que vinceret vitia portasse aliquando ascendisse dicamus. Propterea ut pro nobis penam infirmitatis consensit, ut eos qui in culpa et in pena egrotabant, primum a culpa iustificaret, postea a pena liberaret.

## Quomodo intelligendum est quod scriptum est christum conceptum esse de spiritu sancto

Ecce nos sicut supra dictum est in incarnatione filii cum ipso filio pater simul et spiritus sanctus operatus sit, in eius conceptu quare tamen in scriptura sacra singulariter de spiritu sancto conceptus memoratur. Hec quidem sunt et cetera que de ipso

License: CC-BY-NC – Engelberg, Stiftsbibliothek, Cod. 90, f. f.%2025v – Hugo de S. Victoris, De sacramentis fidei christianae (http://www.e-codices.ch/en/bke/0090/f.%2025v)